

in ultionem sanguinis christiani effusi sub M. Aurelio, Commodus ejus filius sævit in urbem, senatum, cives, principes, præfectos, immanissime illos trucidando, nulla interim Christianis illata molestia, Baron. anno 182. In ultionem effusi sanguinis christiani per Alexandrinos, sub Severo imp. Antoninus hujus filius ingenti edita cæde Alexandrinos, quod ipsum illusissent, vastavit, Baron. anno 217. idemque immisso exercitu in populum Romanum, Circenses spectantem, quod in aurigam ipsi charum nescio quid cavillatus esset, maximam cædem fecit, Christianis nihil nocuit. In ultionem persecutionis, sub Decio Romani Scythia primum tributarii facti et pestis decennalis orbem vastavit sub Gallo et Volus. Baron. anno 255. In ultionem persecutionis Valeriani Romanum imperium, sub ejus filio Gallieno variis cladibus afflictum in singulis pene ejus regionibus fuit, terræ motibus, multorum dierum tenebris, hiatibus terræ, maris inundationibus, peste, fame, incendiis, barbarorum incursionibus, Baron. anno 263.

Quarto, in omnes orbis partes ablegavit prædicatores eruditione et sanctitate præstantes. Destinatus est Jacobus minor Jerosolymam, ordinarius illius episcopus; Joannes in Asiam abiit, illiusque Ecclesias rex; Jacobus major in Samaria prædicavit et in Hispania; S. Andreas in Scythia et Achaia, etc. S. Barnabas abiit Mediolanum; T. Marcus Aquileiam; S. Dionysius in Galliam, cum Rustico et Eleuthero; Fugacius et Damianus in Britanniam; S. Crescens Moguntiam; S. Maternus Coloniam; S. Eucharis Treviros; S. Andronicus in Pannoniam; S. Augustinus missus a Gregorio Magno in Angliam; Valentinus in Norvegiam; Nareissus Augustam, Bonifacius Moguntiam; S. Xaverius in Indiam, etc.

Quinto, ex oriente quapiam hæresi, semper excitavit aliquos viros eruditos et religiosos, qui eam expugnarent ita ut sæpe unus vir sanctus hæresim integram confutaret et extingueret, quemadmodum de formicis quibusdam scribit Olaus, lib. XXII. c. V. quarum unica interdum in latibulo ursi nidificans, inde ipsum et totam ejus sobolem expellit et perpetuo exulare facit. Sic cum Ariana pestis invasisset orientem, Deus extulit in lucem S. Antonium in Ægypto, unde ea erupit, et S. Basilium in Cappadocia. Cum eandem Wandali intulissent in Africam, Ostrogothi in Italiam, misit Deus Africa S. Augustinum, Italia S. Benedictum; Contra Jovinianum S. Hieronymum; contra Eutychianos S. Sabam; contra Waldenses S. Dominicum, et S. Franciscum; contra Hussitas S. Bernardinum Sennensem, et S. Vincentium Ferrerium: nostro

sæculo contra Calvinum et Lutherum S. Ignatium ejusque societatem, S. Philippum Nereum cum suo collegio, patres Capuccinos, etc.

CONCIO V.

CAUSÆ PROPAGATIONIS HÆRESUM NOSTRI TEMPORIS.

I. Doctrinæ hæreticæ plausibilitas. — II. Dissoluta illius temporis vita. — III. Hæresum propria fecunditas. — IV. Hæreticorum inquietudo et studium. — V. Fraudulentia eorumdem. — VI. Violentia eorum.

THEMA.

Simile est regnum cælorum fermento. Matth. XIII.

Sunt non pauci, qui mirentur, cur hujus temporis hæreses, Lutheri maxime et Calvini brevi tempore ita sint propagate, ut integras nationes, ac totum pene septentrionem pervaserint et occupaverint. Ecce enim unus Lutherus flagitiosus apostata, sedem Romani imperii, regionem florentissimam, et non tantum fortitudine incolarum sed etiam pietate morumque integritate olim spectatissimam, Germaniam, pravis suis opinionibus ita imbuit, ut a fide in qua nati erant et in qua majores illorum obierant, desciverint, et novam antea inauditam tam avidè et ambabus ut dicitur manibus amplexati sint. Unus Calvinus mali corvi pessimum ovum in plerasque Gallia civitates non tantum novas de religione persuasiones, sed etiam seditiones et horrida bella invexit. Quæ utriusque pestes totam Angliam, Hiberniam, Scotiam, Daniam, Sueciam, Belgium, Saxoniam, et pene totum septentrionem invaserunt et corruperunt. Cum enim nemo libenter decipiatur, etiam qui fors alios paratus esset fallere; omnis autem novitas suspecta sit et fraudem oleat, nemo etiam facile adigi possit, ut fidem a parentibus et majoribus suis hæreditatam mutet, qui tandem fieri potuit, ut tam nova et suspecta dogmata deciperent et ab avita fide abducerent tot nationes? Accedit quod hæresiarchæ isti, et eorum posteri nec sint, nec fuerint unquam vel doctrina præter cæteros eximii, vel rebus miris et quæ naturæ vim exsuperent clari, vel vitæ sanctimonia conspicui, sed potius infames et pessimæ vitæ. Quantos labores exantlarunt viri sanctissimi? Bonifacius Germaniæ apostolus, Kilianus, Columbanus, Wilibaldus, Rupertus, Severinus et alii extra numerum ut Germanos ad veræ fidei agnitionem traducerent? Quos tamen Lutherus ab eadem sine ullo sudore suo abduxit. Quas molestias non susceperunt viri doctissimi et sanctissimi in Gallia, uni sedis

Gallia, Angliæ, Scotia, Hiberniæ, Saxonie, etc. tenebris lumen inferrent? At easdem hoc lumine privare et denuo in æque densam aut ferme densiorem caliginem verique Dei ignorantiam præcipitare, adeo non arduum fuit Calvino, ut id ludibundus et quasi aliud agens perfecit. Quæ cum ita sint, non dubitant hæretici universalem Germaniæ velocem commotionem et versionem nobis quasi portentum et ingens aliquod prodigium objicere, certissimum fidei suæ argumentum. Ecce enim, inquiunt, Martinus Lutherus unus homo tantum potuit intra paucos annos in effectum dare, ut totum pene attraxerit septentrionem. Ecce fermentum illud modicum, de quo Dominus prædixit, totam (Germaniæ) massam ab eo fermentandam, quemadmodum enim per pauculos et simplices apostolos totum convertit mundum, et hoc ipso doctrinæ suæ veritatem comprobavit: ita totius Germaniæ inversio per Lutheri prædicationem certissimum erit argumentum, fidem illius veram esse. Sed non movemur nos his in anibus hæreticorum bombis; quia si penitus introspeciamus, quid traxerit Germaniam ad Lutheri sectam, non admirabimur. Audiamus.

Comparatur quidem in hodierno evangelio fermento Ecclesia vera et catholica, cum Dominus ait: *Simile est regnum cælorum fermento*, quia nimirum illa immixta tribus satis, id est, mundi partibus Europæ, Asiæ, Africæ, totum mundum fermentavit. Sed comparatur etiam fermento synagoga diaboli et hæresis: et quidem ab ipso etiam Domino, Matth. XVI. monente discipulos suos et dicente: *Intuemini et cavete a fermento Phariseorum et Sadduceorum.* Ubi non corporalem panem, inquit tibi Sanctus Hieronymus, sed traditiones perversas et hæretica significat dogmata. Et de simili, id est, malo etiam fermento ait apostolus, I. Corinth. V. *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* Itaque nequaquam est sufficiens comprobatio doctrinæ Lutheranae, quod instar fermenti totam inverterit Germaniam: nam etiam modicum aceti dolio generosissimi vini infusum, totum acore suo destruit et corrumpit. Et in simili genere unus Arius totum orientem et ex parte occidentem, unus Donatus et Manichæus totam Africam hæreticis suis dogmatibus olim contaminarunt. Sic denique unus Lucifer traxit secum in perditionem tertiam partem stellarum. Taceo quod fermentum Christi, non unam tantum orbis partem, unam tantum Germaniam, Galliam, aut Angliam, sed sata tria, hoc est, tres orbis partes, adeoque totum mundum debet fermentare; ubique ejus fides coruscare, non in uno

tantum orbis angulo, quemadmodum doctrina Lutheri et Calvinii. Unde dicitur: *Donec fermentatum est totum.* Taceo quod fermentum Christi ab ipsamet prædicatione vim suam exercere et per manus apostolorum et successorum continuo derivare usque ad diem judicii debet: non post quatuordecim primum sæcula, quemadmodum Lutheri et Calvinii dogmata. Id solum nunc dicemus, nequaquam mirum esse quod Germania a fermento Lutheri, aut aliæ nationes a fermento quorumcumque hæreticorum sint corruptæ.

I. Prima causa tantæ propagationis in hæreseon est, doctrinæ illarum suavitas et plausibilitas. Siquidem ex Epicuri schola est, quod libertatem carnî præbet, frænum libidini laxat, leges tollit, opera pœnalia damnat, timorem gehennæ pellit, salutem certo promittit, modo retineas fidem. Quis, quæso, sæcularis homo tam plausibilem doctrinam non obvis ulnis amplectatur? An nescimus saxa deorsum cadere sponte et suo pondere, difficulter vero in altum tolli? Facilius destrui domum quam ædificari? Faciliorem esse descensum, quam ascensum? Doctrina hæreticorum nostrorum deorsum ducit, ad libertatem ducit, disciplinam destruit, descensum offert. Hæc enim sunt eorum dogmata: nullum peccatum damnat nisi sola infidelitas: fides sola absque omni bono opere justificat coram Deo: quodlibet opus bonum intuitu mercedis æternæ factum, est peccatum: auricularis confessio figmentum est: purgatorium figmentum est: jejunia, peregrinationes, et cæteræ carnis mortificationes aniles papistarum fabulæ sunt: vota monastica irritanda sunt, quia Deo contraria: nubendum est omnibus clericis, et similia longe plura. Quare scite et festive Thomas Morus cancellarius Angliæ et martyr Luthero suæ sectæ propagationem jactanti respondisse fertur: mirum id non esse, siquidem facilius sit descensus quam ascensus. Et in epistola adversus Pomeranum scribit: *Ad propositam vitæ libidinem et licentiam populum ruere, majus non est miraculum, quam saxa deorsum cadere.* Cui veritati et hoc addit, quod Castillæ meretrici Socrates quondam respondit. Insultabat illa Socrati ac dicebat: « Tu neminem ex amatoribus meis unquam valebis a me abalienare: at ego quoties lubet, tuos auditores omnes a te avoco et ad me traho. » Cui prudentissime respondit Socrates: « Mirum hoc non est: tu siquidem ad declivem voluptatis tramitem omnes rapis et trahis, ego ad arduum virtutis callem cogo et impello. » Elianus, lib. XIII. de var. histor. Sane in sacris litteris hæresis non semel vocatur meretrix, uti Isa. I. *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis?*

Quare sicut meretrix nullo plane negotio plurimos seducit, sic fecit hæresis Lutherana et Calviniana. Quæsitum olim erat de philosophis, cur tot reperirentur Epicurei, et tam pauci Peripatetici et Stoici? In promptu causa erat, Stoicorum et Peripateticorum disciplina severior et subtilior, Epicureorum laxior et crassior; unde hanc turmatim amplectebantur, illas ut minus abdomini gratas, repudiabant. Audi Lactantium, l. III. divin. instit. cap. XVI. « Epicuri, (inquit,) disciplina multo celebrior semper fuit, non quia veri aliquid afferat, sed quia multos ad populare nomen voluptatis invitat; nemo enim non in vitia pronus est, eaque vincere difficillimum est. » Eadem causa tantopere protulit et diffudit sectam Mahometanam non homine sed bellua dignam, dum plures concedit uxores, libellum repudiij, etc. Si tamen Lutherus suis asseclis uti Mahometes suis usu vini et cerevisiæ interdixisset, nescio num in Germania tam multos sectatores invenisset. Sine dubio repulsus fuisset ut nimium severus et rigidus. Certe carnis, non religionis amor extraxit e monasterio et cœtu catholico Lutherum, Munsterum, Pelicanum, Bucerum, Ochinum, Œcolampadium, Calvinum, Bezam, et id genus alios: libertas item carnis, non spiritus, post eos attraxit Germanos, Gallos, Anglos, etc. Fermentum Christi amarum et austerum fuit, ad crucem, ad opera pœnitentiæ, ad virtutis callem invitavit et tamen attraxit orbem. Hoc prodigium, hoc portentum est. Fermentum hæreticorum non tam fermentum, quam mel fuit, quod muscas attraxit.

II. Secunda, dissoluta Christianorum vita et proclivitas ad lapsum, quæ viguit in Germania tempore Lutheri. Facile inflammatur lignum aridum, et facile credunt homines, quæ audire gestiunt, et facile arripiunt, quæ desiderant. Non est difficile persuadere voluptario homini, sacerdotes uxoratos esse debere, castitatem impossibilem esse; guloso, jejunia esse superflua, ebrietatem non esse peccatum; avaro, usuram esse licitam; luxurioso, fornicationem. Ita enim Pharisæi audiebant Dominum prædicantem eleemosynas et reprehendentem avaritiam ac dicentem: *Non potestis servire Deo et mammonæ*: sed nihil movebantur, imo: *Deridebant eum, quia erant avari. Audiebant, inquit Lucas, cap. XVI. omnia hæc Pharisæi, qui erant avari, et deridebant eum, quod si usuram excusasset Dominus, si divitias laudasset, vah! Quam avidè id avari arripissent!* Sic Achab gestiens ire ad bellum, facile persuasus est a prophetis falsis, III. Regum ult. Itaque non mirum si tam multi et tam facile Mahometo primum, deinde Luthero et Calvino

carnis libertatem prædicantibus se adjunxerint. Erant enim utroque tempore illic in Græcia, hic in Germania, ut historiæ testantur, mores Christianorum magna ex parte corruptissimi. Nulla prope erat in judiciis ecclesiasticis severitas, nulla in sacris litteris eruditio, nulla in rebus divinis reverentia, nulla sacrorum canonum observantia. Sacerdotes contemptui erant et contemptim fere vivebant; sacramenta, religio, disciplina ecclesiastica, negligebantur et fortasse a multis etiam nesciebantur. Itaque *dum dormirent homines, venit inimicus homo* (diabolus et Lutherus ejus legatus) *et superseminavit zizania*, Matth. XIII. Non aravit, neque occavit terram sicut fieri debet ut fructum bonum afferat; seminatio solum deerat, quia tellus ad zizania ferenda jam optime disposita erat. Unde r. p. Landspergius Carthusianus scite admodum dicere solebat, Lutherum nil jecisse, nisi quod tibiam utricularem inflarit, homines enim ad saltandum jam fuisse paratos, sed tibicinem defuisse; paratissimi tunc erant multi clerici ad fornicationes, ad libidinem: desiderabant nobiles et principes sæculares multi, bona et prædia ecclesiastica, populus libertatem a jugo suorum principum necnon Christi; unde alius non requirebatur nisi ut auceps ille Lutherus et Calvinus singulis aviculis suas, quas amabant, escas, veluti in area proponeret. Unde Jerem. V. *Inventi sunt in populo meo impii insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes et pedicæ, ad capiendos viros.* Typus horum aucupum erat Balaam ille, qui videns Israelem, nisi destitutum a Deo propter peccata, vinci non posse, posuit scandala coram eis et consuluit regi Balac, ut selectissimas puellas prope exercitum Hebræorum mitteret, quo ad Venerem eos pellicerent, nec vero prius admitterent, quam idola earum venerentur, et de idolothytis manducarent, ut habetur, Num. XXXI. Apoc. II. quo facto plurimi Israelitarum seducti sunt, ut Num. XXV. patet. Porro ipse S. Joannes, Apoc. II. ariolo illi comparat Nicolaitas hæreticos sui temporis, qui fornicationes suadebant et præcipiebant. Et quid aliud, quæso, fecit Lutherus et Calvinus? Ipsi proposuere escam, mox carnales in aream eorum descenderunt, utpote carnis, avaritiæ et libertatis jam prius amantissimi. Ita prorsus ad hæresim dispositus erat Joannes Fridericus Saxoniae dux, sicut Achab ad bellum. Cum enim mire desideraret familiam Austriacam imperatoria dignitate spoliare, quod sensim videretur quasi hæreditario jure ab eo possideri, communicavit desiderium suum Luthero, qui suasit, ut dux mutaret religionem, si imperium mutatum vel-

let, nec difficile persuasit homini invidia pleno et Cæsari infenso. Itaque dux Lutherum sibi adjunxit conceptæ nequitiae aptissimum instrumentum, et arma in Carolum V. movit, ut eum Germania exturbaret. Sed profligatis ejus copiis, victus et captus, ac potestate electoria privatus est, quam in Mauritium ejus patruelem transtulit imperator, in cujus familia adhuc perseverat, Petrus Ribadeneira princ. Christi, lib. I. cap. XV. Nihil ergo hic miraculi, dejicere videlicet parietem inclinatum, de quo Psal. LXI. dicitur: *Tamquam parieti inclinato, scilicet vim facitis.*

III. Tertia, ipsa hæresum propria et innata quasi fecunditas tam in sibi similibus quam in dissimilibus fetibus progignendis. Nam si qua hæresis cito crescat, quid mirum, cum herba mala multo citius et copiosius crescat quam bona? Multa opus est cultura, ut herbæ utiles crescant, inutilis etiam absque cultura et ultro crescent. Quis nescit etiam inutilia animalcula et insecta citius et abundantius progigni, quam utilia et perfecta? Unus pediculus vesti adhærens cito generat plures. Ita se res habet cum hæresibus. Achab habuit 450. pseudoprophetas Baal, et solus Elias, ut ipsemet deplorat; erat propheta Domini, III. Regum XVIII. Et licet Elias hos omnes occiderit, nihilominus paulo post alii 400. surrexerunt pseudoprophetae, cum solus Michæas superesset propheta Domini, III. Regum XXII. Facile igitur est hæretico similem sibi gignere. Sed accedit quod tanta sit eorum fecunditas, ut etiam sibi dissimiles pariat, ac veluti gallina omnia excludit ova simul, anserum, pavonum, anatum, gallinarum: ita etiam hæretici diversas a se quam plurimas excludunt hæreses. Et sane si eos tantum numerare vellemus hæreticos, qui ejusdem sectæ sunt, paucos inveniemus, præsertim si cum catholicis comparemus. Catholici omnes idem circa fidem sentiunt, et per totum orbem diffusi sunt. Nequaquam ita hæretici, sed singulæ eorum turmæ in singulis tantum mundi angulis hærent, Germania alii Lutheranos et hos diversarum sectarum, Saxonia Confessionistas, Moravia Anabaptistas, Gallia Calvinistas, Anglia Puritanos, Polonia Arianos, Græcia Schismaticos, et in singulis locis plura inter eos schismata. Rudiores enim inter eos sequuntur suos magistros, qui vero subtiliores sunt, etiam ipsi aliquid novi inveniunt, et quod licuit magistris etiam sibi licere volunt; inde fit ut inter eos paucissimi reperiantur concionatores, qui eosdem fidei articulos prædicent. Ita olim in Africa, teste S. Augustino, lib. V. contra Parmen. capite IV. Donatistæ in plurimas partes scissi sunt, et ut ipse loquitur, *in multa minutissima frusta*, Mani-

chæi in Catharistas, Macarios et proprie dictos Manichæos, Acacianos, Eunomianos et Macedonianos. Ex secta Lutheri tot aliæ natæ sunt, quot fere naves græcicæ Trojam oppugnantes, quarum catalogum vide apud Staphylum et Prateolum. Primo, Anabaptistæ et hi Antinomi, Ofian-dristæ, etc. Secundo, Confessionistæ et hi rigidi, molles, extravagantes, reformati; qui omnes iterum varie divisi. Tertio, Sacramentarii et horum alii remonstrantes et contraremonstrantes: Arminiani et Gomaristæ, molles et rigidi Calvinistæ. Ratio harum sectionum est, quia non habent certam regulam interpretandi Scripturam, sicut habet Ecclesia Romana, juxta interpretationem videlicet ss. patrum, sed permittunt cuivis sensu suo Scripturam interpretari; inde tot capita quot sententiæ. Uti, v. g. Hoc est corpus meum, interpretatur Lutherus, corpussimul cum panis substantia: Hic est sanguis meus, sed cum substantia vini. Hujus interpretationis absurditatem videntes Zwinglius, Calvinus, Œcolampadius intellexerunt ita: Hoc est corpus, id est, hoc significat corpus meum, et ita in aliis. Ecclesia catholica, quia habet certam regulam interpretandi, nimirum juxta intellectum ss. patrum, ideo nequit in varias sectas dividi: nam quod objiciunt illi nobis varietates ordinum, stultitiam suam produnt; hi enim in fidei articulis omnibus conveniunt, in regulis tantum vivendi discrepant. *Una est columba meæ*, scilicet Ecclesia Romana, et hæc una per totum volat et habitat orbem. Nequaquam ita hæreses.

IV. Quarta, hæreticorum inquietudo et indefessum studium acquirendi sibi similes et homines fermento suo incorporandi; sive ut ita fortiores et tutiores ab exterminio sint, quemadmodum seditiosi solent ad se multos trahere, quo impudius feriant: sive quia hæreticorum et cacodæmonum idem omnino est studium et conjunctum, pertrahendi animas in gehennam, doctrinis perversis, consiliis, fraudibus, pollicitationibus, minis et bellis: sicut idem fere utrimque casus, illorum de Ecclesia, horum de cœlo. Unde in sacris litteris tam hæretici quam cacodæmones vocantur lupi, oves Christi dilanantes: hi Joan. X. *Lupus rapit et dispergit oves*: illi, Act. XX. *Intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos non parcentes gregi.* Ut enim lupus non tam ad famem pellendam, quam ad libidinem satiamdam lacerat oves omnes, non contentus una vel duabus, idemque tota nocte longa itinera indefessus currit ut rapiat et mactet, sic etiam diabolus *circuit quærens quem devoret*: uti et hæretici, qui explorant omnes modos et mira excogitant ad propagandam hæresim. Cogunt

populum ad conciones et pueros ad catechesim, proseribunt religionis catholice exercitia, neminem nisi sue secte ad magistratum admittunt, magistratus neminem catholicorum in civium numerum, ut in civitatibus imperialibus patet, ubi magistratus hereticus est: studia magna ex parte impediunt, et urbes opificibus tantum ac mercatoribus implent. Prædicantes eorum quotidie fere prædicant, mane sæpe et vespere ut vere de iis dici possit id Eccl. XIX. *Sagitta infixæ femori canis, sic verbum* (Dei Lutheranum) *in ore stulti*. Ut enim ejusmodi canis non quiescit quamdiu sagittam in femore retinet: sic nec prædicantes a verbo suo circumferendo, juxta id Jer. XXIII. *Non mittebam prophetas, et ipsi sponte currebant*. Denique, quid non expendunt, quid non tolerant, quo fidem nostram eradicent, suam plantent? His annis vidimus quæ et quam multiplicia consilia in nos conceperint, quot principes et resp. sibi devinxerint, quas machinas excogitarint, ut nos supprimerent: ipsi nos hæc eorum consilia mirabiliter a Deo patefacta et in manus nostras in originali delapsa et publicis typis evulgata legimus. Ut taceam quid non tolerarint eorum milites, qui multo tempore sine stipendiis militarunt: quid non pecuniarum contulerint civitates imperiales, etc. O quam ergo vero verum est illud Domini: *Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt!* Luc. XVI. Vincunt hac sua sedulitate catholicos sicut Judas cum suis vigil discipulos in horto dormientes; et vultur (cui S. Augustinus, tract. VI. in Joan. hereticos comparat) columbam, quæ Ecclesie typus est.

V. Quinta, fraudulentia hereticorum. Lupinæ enim pelli vulpinam assuunt, et imprimis semper et ubique jactant evangelium suum, verbum Domini, quasi eorum doctrina eaque sola clarissime reperiatur in evangelio et nos evangelium rejiceremus, vel ei contrairemus; hinc omnia sua commenta sententis Scripturæ vestiunt, et infinitis centonibus obtegunt, ut ea rudi populo credibilia faciant, ad eum fere modum, quo sutor ut filum crassius in angustum calcei foramen introducat, setam illi subtilem intorquet et præfigit, ut beneficio setæ etiam crassius filum traducat: sic enim illi paradoxa sua (uti vota, jejunia, bona opera, purgatorium, sanctorum invocationes, castitatem, confessionem, etc. mera commenta esse) ut rudioribus persuadeant, beneficio Scripturarum id efficiunt: et has esse ovinas istas pelles sentit Vincentius Lirinensis, l. contra profan. hæres. novit. cap. XXXVI. in quibus lupos venturos ad nos prædixit Dominus: *Quæ aut fallacius incautis ovibus obre-*

pant, manente luporum feritate, lupinam speciem deponunt, et sese divinæ legis sententiis, velut quibusdam velleribus, obvolvunt. Inquit ille. Atque ut huic fraudi robur addant, quibuscumque hominibus facultatem præbent legendi et interpretandi Scripturas, imo etiam suadent: nec dubitant asserere papam et ejus assecras ideo prohibuisse laicis lectionem Scripturarum ss. ne fraudes ejus apparerent, quibus vulgum dementarit, quasi plurima commenti sint pontifices ad suam ecclesiasticorum utilitatem, quæ Scripturis contradicant, ut missas, confessiones, oblationes, etc. quo sane modo innumerabilem hominum multitudinem traxerunt ad suas hæreses. Quemadmodum si cuius hominum daretur Romæ licentia ingrediendi cryptas martyrum obscurissimas, velut ad S. Pancratium, ad S. Sebastianum, etc. plurimi in iis exerrarent etiam accenso lamine; et in iis misere perirent ob varias anfractuosas, longas et obscurissimas vias. Id igitur ne cui accidat, sub gravi pœna prohibetur ne quis, nisi duce aliquo viæ gnaro cum aliquot luminibus, eo ingrediatur. Ita seres habet cum sacris Scripturis: cum enim licentia datur omnibus earum obscuritates ingredi et abditos sensus rimari, licet lumen intelligentiæ et ingenii acumen se habere existiment: fieri non potest, quin plurimi exerrent, cum Scriptura omnis varias patiat interpretaciones. Atque hinc est quod tot in iis deviarunt et in hæresim lapsi sunt. Omnes enim heretici Scripturam allegant pro se; licet diversarum hæresum, quibus certe omnibus Scriptura servire nequit: igitur ut ne erremus nos, Ecclesia mater nostra homini laico prohibet Scripturam aut saltem eam rimari et interpretari, vultque uti non nisi juxta ss. patrum sententiam veluti prælatis facibus et duce aliquo, approbato doctore, eam ingrediamur, audiamus et legamus.

VI. Sexta, violentia hereticorum. Ad extremum enim ubi etiam vulpina pellis non sufficiebat, juxta proverbium, leoninam assuerunt. Nam initio principum et magnatum ambigunt ostia, ipsos primo inficiunt, ut ipsorum auctoritate dogmata sua promoveant ad subditos, mediante videlicet principis mandato, minis et pœnis. Ita primus hereticorum pater Simon magus, magicis artibus Neronem imp. seduxerat et in apostolos Petrum et Paulum ac fideles alios exacerbarat: ita Arius et Eutyches imperatores christianos: ita Lutherus principibus adulabatur, ad magnates, comites, barones litteras dabat et favorem eorum captabat; ut sic eorum gladiis perumperet, et evangelium suum propagaret. Atque ita factum ut captis potentioribus caperentur et subditi.

Sed non ita voluit Christus plantari evangelium suum. A simplicibus et humilibus incepit Christus et vocavit primo humiles piscatores, deinde plebeios et inopes (unde est illud I. Cor. I. *Non multi potentes, non multi nobiles, non multi sapientes, etc.*) postillos quosdam doctos ut Gamalielelem, Saulum, ac deinde alios divites, demum reges et imperatores. In cujus rei figuram prius pastores vocati sunt ad præsepe Domini, postea primum reges, prout etiam prædictum, Isa. LX. *Ambulabunt gentes in lumine tuo et reges in splendore ortus tui*. Ratio est, quia si Deus a nobilibus, doctis potentibusque auspiciatus fuisset evangelium, qui illud edictis ac statutis imperasset subditis, non tam divina virtute, quam humana opera videretur disseminatum evangelium. Non esset mirum lupis capere oves, sed ovibus capere lupos. Christus dixit: *Ego mitto vos sicut oves in medio luporum* (scilicet ad capiendum et curandum eos) non sicut lupos in medio ovium. Nihil igitur miraculi habet Lutheri evangelii propagatio. Porro ubi apud principes nihil efficiunt heretici, postmodum turbas ciunt, seditiones et bella commovent, subditos in principes suos armant, atque ita ferro et flamma evangelium suum disseminare conantur. Quod accurate præstitit Lutherus, qui postquam advertit obsistere sibi multos imperii principes ac Cæsarem imprimis, docuit libertatem christianam eximere omnes subditos a dominatu et subjectione principum, unde et suasit eis, arma in eosdem sumerent. Sic enim scribit in lib. de captiv. Babylon. item contra duo Cæsaris mandata, nullam spem superesse remedii, nisi omnibus humanis legibus extinctis populus regnet, et Deum rogandum ne subditi suis obediant magistratibus. Ex qua Lutheri doctrina animatus et armatus Thomas Muncerus ejus discipulus concitavit seditionem rebellium rusticorum per Germaniam, et bellum Schmalcaldicum, in quo plusquam centum millia rusticorum periire, ut patet ex commentario Surii, Schleidano heretico, etc. Quo eodem medio usus in Helvetia Zwinglius, qui et ipse in suo prelio periit cum se jactasset globos omnes bombardarum manica sua excepturum, Calvinistæ in Gallia, etc. Sed non voluit Christus Ecclesiam suam armis propagare, nec permisit etiam apostolis suis baculum portare: atque in ejus rei significationem noluit sibi a Davide templum ædificari, quia is multum sanguinem fuderat et gravia bella gesserat, sed a Salomone pacifico, qui nec cædem fecerat, nec bellum gesserat, ut habetur I. Par. XXII. Neque mirandum est aut Deo adscribendum cum secta aliqua armis propagatur; alioquin potius Turcæ

secta approbanda esset. Lapis ille, qui contrivit statuam Nabuchodonosoris sine manibus abscissus fuit, Dan. III. ita sine violentia fides Christi propaganda erat.

Concludamus ergo nil prorsus miraculi continere hæresum propagationem neque valde mirandam. Dicendum potius: *Misericordie Domini, quia non sumus consumpti*, Thren. III. Et orandus Deus, ne patiat nos induci in errores tam perverso tempore.

CONCIO VI.

MULTIPLEX VERBI DEI AUDITI FRUCTUS, ET NON AUDITI DAMNUM.

I. Illuminat intellectum. — II. Roborat mentem spe. — III. Accendit charitatem. — IV. Præservat a vitiiis. — V. Provocat ad pœnitentiam. — VI. Incitat ad virtutem. — VII. Solatur in tribulationibus.

THEMA.

Simile est regnum cælorum grano sinapis.
Math. XIII.

Sanctus Hieronymus, in comment. super hoc evangelium ait: « Regnum cælorum prædicatio evangelii est et notitia Scripturarum, quæ ducit ad vitam, et de qua dicitur ad Judæos: *Auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus ejus*, Matth. XXI. Eodem modo accepit regnum Dei apostolus cum ad Coloss. IV. scripsit: *Hi soli sunt adjutores mei in regno Dei*, id est in prædicatione evangelii. Sed cur verbum Dei vocatur regnum cælorum et est via ad illud. Et sicut semen sinapis virtualiter est arbor, sic semen verbi Dei virtualiter est cælum. Hinc Christus et Joannes prædicationi suæ hoc thema præfixerunt: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum*. Appropinquat videlicet audientibus verbum Dei. Sed qua ratione verbum Dei grano sinapis comparatur? Respondeo in præsentem, ob varias ejus utilitates, quæ etiam in grano sinapis cernuntur ut videbimus.

I. Sinapi caliginem oculorum detergit, teste Anglico, l. XVII. cap. CLV. Sic verbum Dei illuminat intellectum et accendit ac conservat in eo lumen fidei, per quam hominis gressus ad secure ambulandum in vitam æternam facile diriguntur. Nam *fides ex auditu*, ait apostolus ad Rom. X. *auditus autem per verbum Dei*. Cujus rei figura erat stella illa, quæ magos ad præsepium duxit: significabat enim per verbum Dei duendas esse gentes ad cognitionem fidei. Unde S. August. ser. II. et III. de epiph. stellam magorum vocat *linguam cælorum*; nec immerito,